



ANDREAE MAUROCENI,  
VENETI SENATORIS PRAESTANTISSIMI,

(a) V I T A,

(b) A NICOLAO CRASSO conscripta.

A D

(c) DONATUM MAUROCENUM,

Senatorem amplissimum, rationibus publicis ad calculum revocandis, provocationibus dandis, & quaestionibus habendis tota Venetae ditioris Continente summo cum imperio Illviro.

Notis illustravit & auxit

D. PETRUS-CATHARINUS ZENUS,  
Venetus, e Clericor. Regular. Congregatione Somaschenfi.

(a) Vita) Prodiit haec Vita Venetiis, apud Evangelistam Deuchinum, 1621. in fol.

(b) A Nicolao Crasso conscripta) Nicolaus Crassus, cognomento Junior, avum habuit Nestiaum Crassum, Seniore dictum, qui magna cum eloquentiae ac integritatis laude Venetiis in patrio foro inter causarum patronos versatus est; patrem vero Marcum, qui, alia vitae ratione inita, praeclarissimis muneribus functus, quae civibus originariis (hoc nomine honestissimum hominum ordinem Reipublicae operam, sine suffragii jure, praestantium significamus) mandari solent, Magnus regni cretensis Cancellarius III. kal. maj. anno 1612. renunciatus est. Nicolaus Junior, avi vestigiis insistens, causas in foro agere maluit, nullique disertissimorum oratorum eloquentiae laude secundus fuit. Multa scripsit latine, italice, soluta, ac ligata oratione; quodque paucis contigit, omnia praeclare. De ejus vita, ejusque operibus consule librum, cui titulus inscriptus: *Le Glorie degli Incogniti*, &c. impressum Venetiis, apud Franciscum Valvasensens, 1647. in 4. pag. 341.

(c) Donatum Maurocenum) Quam conjunctim & amanter secum vixerint Donatus hic, & noster Andreas, cum ex ista Crassi epistola, tum maxime ex iis quae infra dicemus, manifestum fiet.